


**De Salutandis Atque Salutantibus Ex Epistolis D. Pauli Apostoli Ordinis  
Philosophici Consensu Disputabunt M. Jacobus de Mellen, Et Michael  
Vermehren, Lubecenses. Rostochi[i], XXIV. Septemb. MDCLXXXI. In Auditorio  
Maximo ...**

1681

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737563567>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 24.Sept. 1681

de Mellen, Jac.




79  
28  
32  
83  
76  
44

DE  
SALVTANDIS  
ATQVE  
SALVTANTIBVS  
EX EPISTOLIS D. PAULI APOSTOLI

ORDINIS PHILOSOPHICI CONSENSU  
DISPV TABVNT

M. JACOBVS DE MELLEN,  
ET  
MICHAEL VERMEHREN,  
LUBECENSES.

ROSTOCHII, MDCCLXXXII. SEPTEMB. CLXCLXXXII.  
IN AVDITORIO MAXIMO  
HORIS POMERIDIANIS.



TPIS B. FRIDERICI KEILENBERGII, V, ACAD. TYPOGR.

1681.

DE

SALVTANDIS

ALOPH

SALVTANTIBVS

EX EPISTOLA D. PAULI APOSTOLI

AD ROMANOS

DE

M. JACOBVS DE MELLEN

ET

MICHAEL VERMEHREN

LUBECENSIS

Rostocki, vixit. Anno 1630.

IN AVBITORIO MAXIMO

HORII PUBLI

...

...

DE  
SALVTANDIS atq; SALVTANTIBVS

Ex Epistolis Diui Pauli.



Eplicanti mihi sacrarum litterarum monu-  
menta, præcipue quæ sunt novi fœderis, ali-  
quoties subiit illorum hominum memoria,  
quæuis, proximis a nato Seruatore annis, licuit  
tam felicibus esse, ut sanctorum Apostolo-  
rum præsentia & necessitudine fruenterur.  
Horum nomina, ipsis scripturæ paginis  
seruata, non mediocre mihi calcar addidere, in ætatem, munia  
& mores eorum inquirendi, ut magis quam solo nomine mi-  
hi innotescerent: utpote, me quidem iudice, haut exiguam  
Apostolicorum temporum historiæ lucem, istarumque ele-  
gantiarum cupidis voluptatem allaturi. Primo autem loco di-  
gnoscendos mihi sumsi, qui Paulinis epistolis memorantur,  
*Salutandos* atq; *Salutantes*, h. e. sub finem litterarum vel saluere  
iussos, vel aliis salutem plurimam dicentes. Ipsum vero salu-  
tis nunciatæ dicendæq; (in primitiua Ecclesia ex intimo affectu  
& amore Christianorum plus quam fraterno profectæ) ritum,  
voce ipsa, litteris, sanctoqve osculo peragi solitum, jam non  
persequor, sed aliis inquirendum tractandumque mitto, quibus  
me & usu longe & peritia superioribus, uniuersa passim, quos  
vocant, antiquariorum natio adsurgit. Animum induxi, hi-  
storiam tantum & officia illorum hominum scrutari, ad quos  
salutationes Apostolicæ pertinent. Huic operæ intentus dum  
Historicorum ac interpretum monumenta consulo, præsentem  
mihi schedæ natæ sunt, quas ideo cum studiosis antiquarum re-  
rum lubentissime communico, ut meliora docentium ope, si  
qua aberrauero, in viam reductus propositum veritatis scopum  
eo melius attingam.

§. I. A *Salutandis* autem & *Salutantibus* excipio eos, qui jam  
tum cuiuis facile innotuerunt: Et i. vel Ecclesias, vel personas  
illam

mas, ad quas litteræ datæ sunt. (2.) Apostolos, qui epistolas scripsere, ut h. *Paulum*. Huc refer conlegas ejus *Sosthenem* 1. Cor. I, 1. *Silvanum* & *Timotheum*, 1. Theff. I, 1. & 2. Theff. I, 1. memoratos. (3.) Eos, quorum eque nomina occurrunt, sed aliam ob rationem, quam ut saluent vel salvere jubeantur. Hujusmodi est *Phæbe*, Rom. XVI, 1. 2. commendata saltem Romanis, & alii quæ plures.

§. II. Ut igitur a *SALVANDIS* ordiamur, ultimo Ep. ad Rom. capite v. 3. illorū agmen ducit *PRISCILLA*. *Ἀρπίουδος ΠΡΙΣΚΙΛΛΑΝ Ἐκ Αὐθῶν*. *Priscam* codices nonnulli efferunt, & 2. Tim. IV, 9. quoque ita dicitur. Sed una eademque mulier est. Constat enim ex prophanis etiam auctoribus, fœminarum nomina *ἑπιεικής* h. e. blanda voce nonnunquam solita pronuciari, & ita ex Drusi *Livia* *Livillam*, ex *Claudia* *Caligula* *Claudillam* fieri, ut *Svetonius* observat. Mitto *Petronii* *Quartillam*, *Secundillas*, *Tertullas* &c. Quoniam hæc epistola, *Corinthi* ab *Apostolo* exarata, *Romam* missa fuit, salutandi nostri in hac urbe sunt quærendi. Vixit ibi *Claudio* imperante *Prisca* quædam, *priscæ* nobilitatis & *eximia* pietatis virgo, via *Ostiensis*, decimo ab urbe milliario V. Kal. Febr. obtruncata, & monte *Aventino*, *Baronio* in *Martyrol.* notante, condita. Sed hanc non esse *Priscam* vel *Priscillam* nostram ex annorum computo, & adjuncto *Aquila* nomine liquet. Idem prohibet, ne putemus, alteram primi sæculi *Priscillam*, *Puucii* uxorem, *Pudentis*que senatoris matrem, hic intelligi, quæ suo loco memoranda venit. *Priscilla* igitur, quam *Apostolus* salutat, *Aquila* uxor est, *Christianæ* religionis capita tam probe edocta, ut non modo *S. Luca* teste, *Act. XVIII, 26.* una cum marito *ἄνδρα λόγιον, δυνατὸν ὄντα ἐν τῷ θεῷ* *θεοφάνε*, viam Dei penitus docuerit; sed & hic a *Paulo* *συνεργός*, adjutricis, nomen mereatur. An *Apostolus* de publica *Evangelii* prædicatione, (quam fœminis 1. Cor. XIV, 34. & 1. Tim. II, 12. denegant) seu potius de privata quædam com-

mone-

ELP

monefactione loquatur; vel: an hic valeat distinctio quorundam inter ordinariam administrationem officii ecclesiastici, & extraordinarium necessitatis casum, Theologi discutiant. Neque nos tenebit otiosa quaestio, cur *Priscilla* prior marito nominetur? an quod notior esset fidelibus, vel propter majus studium promovendi Evangelii; cum Act. XVIII, 2. 26. & I. Cor. XVI, 19. *Aquila Priscillam antecedit.*

§. III. Erat autem hic *Priscilla* conjux AQVILA, Ἀquila, Ponto oriundus, ante Christi nomen agnitus Judæus, & ob eam religionem Roma pulsus, quum Claudius, timidus ille & alieno ductu crudelis imperator, edicto Judæos omnes (Svetonio in Claudio referente) assidue tumultuantes Vrbe exturbaret. Exul cum uxore veniens Corinthum Paulo innotuit, Act. XVIII, 3. eidem ἑμιοντι, nempe σαηνοπιός, tentoriorum, vel si mavis, aulæorum textor. Recepto enim more, doctissimi quoque Judæorum non erubescabant, sese liberosque opificio cuidam addiscendo tradere, juxta tritum illud: *Quid debet Pater filio? eum circumcidere, redimere, legem docere atque opificium, & uxorem ei comparare*; Ac R. Juda sententiam: *qui non docet filium suum opificium, perinde est, ac si furem esse doceret.* (Lightfoot comm. ad h. l.) Quia vero Paulus hanc ad Romanos epistolam non eo tempore Corinthi scripsit, quo per annum & 6. menses *Aquila* confortis est usus, sed cum peragrata Macedonia in Hellade subsisteret Act. XX, 2. remittente persecutionis Claudianæ aestu, *Aquila* jam reversus erat Romam, Apostolo has litteras consignante, adeoque salutari ibidem poterat. *Aquilam* hunc & *Priscillam*, Paulo valde cara capita fuisse ex eo apparet, quod ipse cum omnibus gentium Ecclesiis gratias exsolvat illis, quod pro anima Pauli τὴν ἰσθμὸν ἑτάχθησαν, suam ipsorum cervicem supposuerint. Beneficium hoc crucein figit interpretibus; qui illorum ope ac discrimine Paulum presentissimo vitæ periculo ereptum putant, vel in Corinthiaca vel Ephesina seditione Act. XVIII, 2, c. XIX, 24. sqq. Miror Joannem Chrysostomum hæc verba, de martyrii palma ab hoc pari conjugum reportata intelligere, dicentem:

A 2

Vides

Rom. 16.



Vides consummatos martyres? Homil. in Ep. ad Rom. Qui enim salu-  
tari potuissent, si securibus Romanis cervices refecundas pro  
anima Pauli & Christiana fide supposuissent. Dorotheus in Syno-  
psi *Aquilam* dicit præfectum fuisse Ecclesiæ Heracleæ: sed uti Sy-  
nopsin auctoris hujus plenam fabulis Bellarminus de scriptor. Eccl.  
& castigatione dignam Baronius, censent; ita, quibus argumentis  
illa relatio nitatur, non invenimus. Habemus *Aquilam*, scriptu-  
ræ S. veteris testamenti interpretem, circa finem primi, vel ini-  
tia secundi sæculi. An idem sit cum *Priscilla* marito, eruditis lis  
est. Certe Ponticum appellant auctores, immo σκηνοποιὸν & Judæ-  
um. Sed in eo discrepant, quod nonnulli ipsum a gentilibus, alii  
a Christianis, ob pertinax Astrologiæ judiciariæ studium Ecclesia  
ejectum ad Judæos defecisse dicant. Profelytum Judæorum om-  
nes vocant, secuti Eusebium, qui H. E. I. V, 8. ait: ὡς Θεοδοτίων ἱε-  
ρῆν Δισσὴν ὁ Ἐφέσιον, Ἐκκύλας ὁ Περπηκὸς, ἀμφοτέρω ἐσθῆται προσηλυτοί.  
At Euphianus sub Hadriano baptizatum asserit, & an. Chr. CXX.  
floruisse. Nec desunt, qui eum R. Akiba sæculi secundi docto-  
ris discipulum affirmant: Quæ tempora, ni admodum longæ-  
vus, *Priscilla* conjux, Paulo memoratus, vix potuerit attingere.  
vid. Danhavver. Act. Christeid. p. 585. Wetsten. in Orig. Epist.  
ad African p. 179. & nostri amantissimum D. N. M. J. G. Oleari-  
um in Abaco patologico, p. 46.

Rom: 16:5 §. IV. ECCLESIAM *Aquila* & *Priscilla* domesticam τὴν κατ' οἶκον  
αὐτῶν ἐκκλησίαν, quam salutare jubet Paulus quoniam constituerint  
non satis compertum est. Sunt qui domesticos illorum intelli-  
gant Christiana fide imbutos; alii de Christianis nonnullis inter-  
pretantur, qui sacrorum peragendorum gratia in domo *Aquile*  
soliti fuerint convenire. Nam quum hic doctor veritatis exi-  
mius extiterit, verisimile est, ingruente Neroniana persecuti-  
one, fideles domicilium illius frequentasse, tam ut in doctrina fi-  
dei proficerent, quam ut in his latebris insidias gentilium vita-  
rent. Quales in cryptis subterraneis conventus & Pomponiam  
Græcinā nobilem Matronā, Plautii uxorem, & Pudentē Rufum,  
aliosque plures instituisse novimus, unde postea (accedentibus  
Marty

martyrum sepulcris & oratoriis) Roma subterranea enata est.

§. V. Sequitur Rom. XVI, 5. EPAENETVS salutandus, Ἐπιειτός. quem Paulus non modo dilectum suum prædicat, sed & primitivum vel primitias Achaïæ vocat, ὅς ἐστιν ἀπὸρχὴ τῆς Ἀχαΐας. Ἀσίας nonnulli codices legunt, & Origenes. Sed Græcorum plurimi Ἀχαΐας. Simili ab oblationibus & primitiis immolandis ducto Epanetus dicitur ἀπὸρχὴ, vel, quod inter fideles ejus regionis præcipuus esset, vel prior ceteris ad Christum conversus. Chryostomo teste, (serm. xxxi. ad h.l.) Apostolus hoc ideo dicit, aut quod is reliquos omnes credendo prævenerit, ac veluti præsilierit, --- aut quod plus pietatis ostenderit, quam reliqui omnes. Putant nonnulli, illum ex LXX. Christi discipulis & Ecclesiæ Carthaginensis Pastorem extitisse. Alii Stephane qui 1. Cor. xvi, 15. etiam ἀπὸρχὴ τῆς Ἀχαΐας appellatur, & diaconus erat Corinthiacæ Ecclesiæ, vel filium, vel domesticum fuisse existimant. Adeoque Epanetus inter illos numerandus foret, qui, ex familia Stephane, a Paulo baptizati dicuntur 1. Cor. I, 16. Sane laudabile ejus nomen congruit pietati & optimis Epaneti moribus, quorum integritate & sincera in Christum fide meruit dilecti nomen. Neque enim modica est laus ista, sed & vehementer magna, & multa virtutis indicium, Paulo esse dilectum, qui non temerario affectu, sed judicio diligere novit. Chryost.

§. VI. MARIA v. 6. Epanetū excipit, Syriace ἀκλίτως Μαριάμ pronuntiata. Quam Apostolus multa erga se laborasse refert: πλὴν ἐκοπίωσεν ἐν ἡμῶς, in nos. Quia Paulus Romam nunquam viderat, scriptores putant, hanc Mariam vel alibi subvenisse inopiæ Paulinæ, vel Apostolum sibi tribuere quicquid illa, hospitio, pecunia, &c. piis ac fidelibus aliis ministrando, laude dignū peregerat.

§. VII. ANDRONICVS, v. 7. Ἀνδρόνικος, cum sequente Junia cognatus Pauli, utrosq; enim συγγενῆς appellat) non minus, quam συναϊχμάλατος, concaptivus fuit. Septies Paulum vincula portasse ait Clemens in Ep. ad Corinth. & ex ejus historia constat, quam multa præterea pericula, quantas sustinuerit afflictiones; harum participes fuisse Andronicum ac Juniam manifestum est. De JUNIA ad huc lis est, sitne viri nomen (adeoque in primo casu effe-

rendum

rēndum *Junias*) vel potius *fāmīnā*? Plurimi posteriorem sententiam defendunt, & uxorem Andronici credunt extitisse, quæ ipsi *ἐπίκλησ* & propinqua fuerit. Quicquid sit : præter primam laudem, quod utriqve sanguine & periculis Paulo juncti fuerint, hæc non postrema est, quod *ἐπίσημοι ἐν τοῖς Ἀποστόλοις*, insignes inter Apostolos dicantur, hoc est (interpretum judicio) missi ecclesiarum, *συνέκδημοι* vel etiam noti reliquis Apostolis: nec non ipso Paulo priores in fide Christiana amplectenda.

§. VIII. AMPLIAS v. 8. ab aliis, nonnullorum codicum fide, *Ampliatius* appellatur, ad imitationem Romanorum nominum Donati, Benedicti, Amati, &c. Iterum *ἀγαπητός*, dilectus Paulo dicitur, non propter opes & beneficia, sed in Domino, ob fidem atqve pietatem singularem. A Paulo diligi, exclamat hic denuo Chryostomus, quantinam est encomii? neq; enim, nisi multam virtutem possedisset, in amorem sui ipsum attraxisset. Hippolytus, Portuensis Episcopus, *lib. de 72. discipulis* Ampliam vel Ampliatum hunc Odyssæ Episcopum fuisse auctor est.

§. IX. VRBANVS & STACHYS v. 9. salutandi conjunguntur, egregia nacti ab Apostolo encomia, quæ alter ipsi *συνεργός*, adjutor, in Christo, dicitur, ob præstitam in iis opem, quæ ad fidem Christi propagandam pertinent; *dilectus* alter, uti Amplias & Epænetus. Hippolytus *Urbanum* in Macedonia Episcopum creatum esse perhibet, quod confirmat Dorotheus: ijdem *Stachyn* referunt primum Constantinopolitanum vel Byzantinum potius Episcopum a B. Andrea Apostolo esse ordinatum. Consentiant Nicephorus Cplitanus, in *Chron.* & Nicephorus Callisti. *Hist.* VIII, 7.

§. X. Pergit Paulus v. 10. ad APELLEM *Ἀπελλῆν, τὸν δοκιμὸν*. Nomen hoc Græcum in celeberrimo pictore, & Philosopho apud Plutarchum inclytum est. Fuit *Apelles* ex LXX. Christi discipulis, si Hippolytum Martyrem seqvimur: & Græcorum (in *Menologio*) sententia, ecclesiæ Smyrnenfi postea præfectus. Hinc merito vani sunt illi, qui *Apellem* nostrum & *Apollo* in Actis nominatum, unum eundemqve faciunt, adducti ea ratione, quod modo simili *Ἀπιδᾶς* quidam, Atheniensis, dicatur etiam *Apelles* in epitome

Artemi-

Artemidori Ephesii. Probatum elogium dubio procul fidei constantia & genuina pietate meruit.

§. XI. Τῆς οἰκῆς τῆς Ἀριστοβούλου, eos, qui sunt ex ARISTOBULI (subintel.) familia, vel domesticis, salutando, Apostolus fidelium coetum innuit, qui fuerunt vel domestici *Aristobuli*, vel æque ac de Aquilæ ecclesia diximus, sacris obeundis in ipsius ædibus convenire soliti. Ipsum quod *Aristobulum* attinet, Apostolorum discipulus vocatur scriptoribus Hist. Eccles. & ad Britannos missus dicitur Evangelii prædicandi causa. Itaque vel absuit domo, vel etiam diem suum jam obiit, cum Paulus hanc epistolam scriberet, quia nullam ipsi Apostolus salutem impertit.

§. XII. HERODION cognatus Pauli v. II. nuncupatus, vel sanguinis cognatione ipsi junctus creditur, vel ob religionem Judæicam, (quam antea professus fuerat) ita nominari. Teste Dorotheo, Patrarum; Hippolyto, Tarsi Episcopus est constitutus, vid. Baron. Annal. Tom. I. ad an. LIX, n. 50. & an. LXIX, n. 44.

§. XIII. NARCISSVM (cujus domestici nunc salutandi veniunt) <sup>hu.</sup> plerique putant esse potentissimum illum Claudii Imp. libertum,

Indulgit Cæsar cui Claudius omnia: cujus Paruit imperiis uxorem occidere jussus, (*Juvenalis* Messallinam scilicet foeminam impudicissimam, Claudii Vxorem, referente Tacito: Annal. XI. (quæ nuper omni crimine absolvere serenissimus Romanæ *Octavia* auctor studuit.) In hujus *Narcissi* domo & familia Christianos nonnullos fuisse credunt, ad quos illa Pauli salus spectet. Quidam vero *Narcissum* alium intelligunt, licet non adeo celebris famæ & magni apud Romanos nominis; illo gentili tamen, ob Christianam fidem longe præstantiorem, qui Dorotheo dicitur Patrarum, sed Hippolyto, Athenarum Episcopus fuisse, & martyrii Palma decoratus.

§. XIV. TRYPHÆNA & TRYPHOSA v. 12, an Romanæ fuerint mulieres, ob Judaicum nomen ex *Tryphone* formatum, ambigunt interpretes: nec minus dubium est, num ante, quam Christo crediderunt, vitam egerint impuram, qualem Petronii *Tryphæna*. De pietissimis his foeminis, a labore in Domino laudatis, agitur

Actis Teclæ, quæ suppositiciorum numero summo studio eripere conatur Baronius *Martyrol 23. septembr.* PERSIDA, huic faminarum pari junctam, ancillam vel libertam conjiciunt nonnulli, ex Perfide ortam fuisse, quæ a patria nomen habuerit, ut *Miso, Syrus, &c.* certe in monumentis Romanorum primi sæculi nulla ejus mentio occurrit.

§. XV. Inquirendum nunc est, quis sit RUFVS, P<sup>o</sup> Q<sup>o</sup> v. 11. una cum Matre salutandus. Hoc nomine insignitos quam plurimos circa hæc tempora Romæ reperias extitisse. Habes *Curtium Rufum*, qui in Agro Mattiaco reclusit specus quærendis venis argenti, & Tiberio dedecus natalium ejus velanti videbatur *ex senatus.* (*Tacit. Annal. XI.*) *Rufum Crispinum*, Sabinæ Poppæ primū conjugem: *Fentum Rufum*, prætoris cohorti a Nerone præfectum: Hispaniæ præfectum *M. Cluvium Rufum*: *Cadium Rufum*, Senatorem: & innumeros fere alios. Sed horum nulli salus Paulina competit, gentilibus cunctis, & a fide Christiana alienis. Qui hunc locum commentariis illustrare sunt aggressi, *Rufum* ajunt *Symonis Cyrenæi* filium fuisse, *Alexandri* fratrem, (de quo *Marc. XV, 21*) quem *Thebanum* Episcopum creatum esse *Dorotheus* tradit. Verum enim vero, quid obstat, quo minus *Pudentem Rufum*, senatorem Romanum hic intelligamus? qui domo sua ad *Viminalem* collem sita, eo loco quo *Novatiæ* *Timothei* thermæ extitere, *S. Petrum* Apostolum Romam venientem excepisse, & ab Apostolo eodem sacris Christianis initiatus ac cum omni familia baptizatus esse dicitur. Idem ille *Pudens* est, cujus nomine *Paulus* *Timotheum* salutatur, *2. Tim. IV, 21.* Pater *Pudentianæ* & *Prædixis*, sanctissimarum virginum, quarum natu majori Ecclesia, sub titulo Pastoris olim erecta, a *Pio* Papa Romano dedicata est. Uxores habuit *Sabinellam*, nec non *Claudiam Ruffinam*, quæ itidem memoratur *Timoth. IV, 21.* & sepultus est juxta plures Christianæ fidei confessores, in cœmeterio *Priscillæ*, via *Salaria*. Mater *Pudentis Ruffi* salutari jussa ab Apostolo, est *PRISCILLA*, Vxor *Punici*, quam *Aringhus* in *Rom. subterr.* male ad *Antonini Imp.* tempora refert, cum *Pudentem*, filium *Priscillæ*  
Petrum

Petrum hospitio excepisse non diffiteatur, qui sub Claudio a XLIV. Urbem intrasse dicitur. Hæc *Priscilla* cœmeterium via Salaria condidit, in quo & ipsa sepulta est, cum aliis Martyrum corporibus quamplurimis; a Marcello Papa auctum, & ab alia *Priscilla* quadam tertij sæculi, instauratum. Eximiam pietate matronam, *Rufi* matrem, suam quoque matrem Paulus vocat, ob singularem affectum, quo *Priscilla* hunc Apostolum amplexa est.

§. XVI. ASTNCRITVS & PHLEGON v. 14. ex Romano Martyrologio Græcorumq; Menelagio sunt noti, quorum natalis vi. Idus Aprilis celebratur. Dorotheus hunc Maratoniam, illum Hyrcaniam Episcopum appellat. HERMAS, *Hermes*, vel *Hermen*, creditur auctor esse libri illius, qui *Pastor* inscribitur, (ab Angelo in habitu Pastoris auctori apparente,) & olim cum epistola ad Hebræos de auctoritate certavit. Ex eo, quod Anastasius Bibliothecarius in *Vitis Pontif.* hunc *Hermam* sive *Hermetem*, Pastoris auctorem, dicat fratrem fuisse Pij Papæ; cum centum fere anni intercedant, Bellarminus de *script. Eccles.* conjicit, duos fuisse *Hermetes*, quorum uterque librum scripserit Pastoris nomine insignem, perduto autem posterioris *Hermetis* (Pij fratris) foetu, alterius a Paulo salutati librum nobis superesse: qui extat inter Orthodoxographa tom. I. & in Bibliotheca PP. Tom. V. editus cum notis a Caspate Barthio an. 1656. Vid. de eo Baron ad an. CLIX. n. 4. sq. Rivet. *Critic. S. I.* 12. Danhavver. *Dram. Act. I.* p. 887. & c. HERMES, qui *Patrobam* interjectum excipit, Præfectus vrbs fuisse, & initio secundi sæculi Aureliano iudice ad supplicium raptus fertur: via Salaria a Theodora sorore conditus. Verum, quum Aringhus, Surius tom. 3. & Ado Viennensis afferant, illum ab Alexandro Papa (qui sub Hadriano floruit) ad Christianam fidem perductum; vero similis videtur, hunc Pauli *Epist.* alium esse, & forsan illum, cujus, una cum Hadriano Martyre, natalem Ecclesia Romana ad Kal. Martij celebrat.

§. XVII. PATROBAM Neapoli Episcopum præfectum Dorotheus tradit: PHILOGVM v. 15. sequentem, Synope in Ponto Ecclesiam rexisse. Sed Hipolytus *Patrobam* vocat Puteolanam Eccle-

fiæ antifititem. *Philologi* nomen Grotius existimat libertini alicujus fuisse, ad litteras instituti, atque in eam spem a Domino sic appellati; assumptis *Philologi* nomen, quia, sicut Aristophanes qui primus hoc cognomen sibi vindicavit, multiplici variæque doctrina censebatur. *JULIÆ* nomen an viro tribuendum sit an fœminæ, dubium est; Origenes fœminam & *Philologi* uxorem esse putat *Juliam*.

115. §. XVIII. *NEREVS*, frater *Achillei* vel *Archillei*, *Flaviæ Domitillæ* Eunuchus fuit. Ambo cum domina in insula Pontia exules, gravissimis verberibus contusi, deinde cum, a Minutio Rufo consulari viro equuleo & flammis ad immolandum compulsi, nolent idolis thura accendere, capitibus cæsi, & a Domitilla juxta viam Ardeatinam in cœmeterio *Petronillæ* conditi sunt. vid. *Baronius*, ipsorum *Nerei* & *Achillei* titulo Cardinalis, Martyrol. 12. Maj. Annal. T. II. ad an. C. n. 12. & Acta eorum apud *Surium* To. 3. Sororis *Nerei* nomen & historiam nullibi reperio. ΟΛΥΜΠΙΑΝ alii *Olympam*, *Olympiadem* alii vertunt, quidam ex *Olympodoro* contractum autumant, quemadmodum ex *Appollodoro* Απολλωδωρος, *Alexandro* Αλεξανδρος, *Artemidoro* Αρτεμιδος, &c. (*Varro* l. 7. de lingua Lat.) Nemo autem addit, quisnam fuerit.

• §. XIX. In Epistola ad Colossenses cap. IV, 15. salutem dicit *Apostolus* FRATREBUS LAODICENSIBUS, hoc est, illis qui *Laodiceæ* Christiano nomini addicti erant, ob religionis paritatem amore Christiano fratres appellati: quorum *Ecclesiæ* v. 16. etiam epistolam hanc jubet prælegi. *NTMPHAS* cum *Ecclesia* domus suæ salutandus, præcipuus quidam *Colossensium* civis habetur, qui, non secus ac *Romani*, domi suæ privatas fidelium congregationes instituerit. Nomen ejus *Grotio* ex *Nymphodori* nomine contractum videtur, quo celebris est *Medicus* apud *Plinium*; & ex sequiori sexu habemus *Nymphodoram* martyrem. *Baron.*

• §. XX. *Priscam* & *Aqvilam*, queis *Paulus* per *Timotheum* salutem nunciat, 2. *Tim.* IV, 19. supra vidimus. *ONESIPHORI* (cujus domus salutatur) civis *Ephesini*, beneficentiam *Paulo* præstitam, cum *Romæ* moraretur, laudavit idem *Apostolus* 2. *Tim.* I.

7416, 17

16, 17. Dicitur autem is Græcis in Menelugio creatus Episcopus Colophonē. Quum Paulus tantummodo familiae illius, & fidelibus ibi congregatis, non autem ipsi *Onesphoro* salutem imperiat, videtur vel fato functus, vel Ephesi non fuisse eo tempore, quo scripta est ad Timotheum Episcopum epistola: eundem in modum, quo *Aristobulus* & *Narcissus*, antea allati.

§. XXI. Hactenus de *Salutandis* egimus. Superfunt *SALVANTES*, seu illi, qui absentes per epistolas Pauli salvere jubent. Horum primus est Rom. xvi, 21. *TIMOTHEVS*, notissimus D. Pauli discipulus, qui ad eum duas exaravit epistolas, & in tradenda Evangelii doctrina opera *Timothei* non raro usus est. Hinc dicitur Pauli *συνεργός* & frequens ipsius fit in Apostolorum Actis mentio. Ephesinae postea Ecclesiae Episcopus datus, vitam pie ac sine labe actam martyrii corona obsignavit. Acta ejus, cui vacat, apud Lipomannum & Surium evolvat, & ceteros Martyrologiorum vel auctores vel editores. De translatione corporis *Timothei* Constantinopolim consulendus Baronius Annal. T. III. An. CCCXXXVI. n. 70, & Martyrol. ix. Maij.

§. XXII. *LVCIVM* eundem plerique putant esse, qui *LVCAS* <sup>Com. 16</sup> Evangelista, nomine ad usum Romanum inflexo. Verum, rem penitus considerantes aliam ab Evangelista censent, & Cyrenæum, Act. xiii, i. memoratum, quem *Rufi* fratrem credunt. Istum Laodicensis Ecclesiae Episcopum constitutum Græci referunt in Menelugio. In Romano autem Martyrologio e primis Christi discipulis, & cum *Apelle* martyrio consummatus esse dicitur. *JASON* Thessalonicensis est, Pauli hospes, de quo Act. xvii, 5. sqq. agitur. Factus deinde Tarsi Episcopus, secundum Dorotheum; vel in Syria, ex sententia Hippolyti. Conciliat auctores hosce Baronius, duos *Jasones* asserens, alterum Cyprium, qui in Syria; Thessalonicensem alterum, Pauli hospitem, qui etiam *Mnaſon* dictus Tarsensi in Cilicia Ecclesiae præfuerit. *SOSIPATER* & *Sopater*, Berrhoënsis, Act. xx, 4. nominatus, unus est idemque, discipulus B. Pauli, & ex Græcia in Macedoniam redeuntis comes. Hunc plerique Iconiensem perhibent Episcopum extitisse, sed *Origines*,



Thessalonicensem Antistitem ordinatum esse auctor est. Ad illum extat Dionysii Areopagitæ Epistola.

§. XXIII. TERTIVS v. 22. Amanuensis Pauli, dum hanc epistolam descripsit, salutem illam Romanis dicendam addidisse creditur: & factus esse postea Berythi in Phœnicia Episcopus. GAIUS vel *Cajus* v. 23. Hospes Pauli, Corinthius, ab eodem cum *Crispo* baptizatus est, 1. Cor. I, 14. Idem est, ad quem S. Johannes tertiam suam Epistolam scripsit. Thessalonicensis Ecclesiæ Episcopum facit illum Origenes: & inde errat Dorotheus, referens *Cajum* Timotheo in Ephesina sede surrogatum, quod competit Onesimo. Præter hunc *Cajum* duo alii occurrunt, Derbæus scilicet, Act. xx, 4. & Macedo, Act. xix, 29. nisi forte Derbæus origine Corinthius habitatione fuerit, quæ conjectura est Gvillelmi Esthij. *Comment. ad b. l.* Hospitem universæ Ecclesiæ appellat Paulus; hinc colligimus illum præfuisse communi ærario, cujus sumtibus inopes peregrini & indigenæ alebantur. Idem forte munus, vel simile ERASTVS habuit, ærario, si non Christianorum, civitatis tamen Corinthi præfectum, ideoq; *δικονόμος* & *τὸ πάλαιος* vocatus. Arcarium vertit Latinus interpres. *Erastus* hic una cum Timotheo a Paulo præmittebatur in Macedoniam. Act. xix, 29. unde Pelagius existimat, illum publico muneri renunciassè, utpote qui aliàs mitti & Pauli negotiis vacare nequæquam potuisset. Historiæ Eccles. scriptores eum Philippensem in Macedonia Episcopum factum, ibidemq; martyrio coronatum referunt: quicquid de Paneadis episcopatu, ipsi collato, Dorotheus asserat. Frater QUARTVS a nonnullis Apostolorum discipulus, Romanus origine, & Corinthi substituisse creditur. Ecclesiæ Berythi Episcopum datum esse Hippolytus testatur. Sunt, qui *Secundi* Thessalonicensis (Act. xx, 4.) fratrem faciant, nec non *Tertij* Amanuensis Pauli. An forte tres fratres erant Paulo adhærentes? quærit Esthij.

§. XXIV. In Epistola priori ad Corinthios cap. xvi, 19. Paulus Corinthios salutatur nomine *Priscille & Aquile*, de quibus supra. *Omnes fratres* v. 20. *omnesq; sanctos* ex 2. Cor. xiii, 12. qui Philip.

iv, 21, 22. repetuntur salutantes, investigare nemo poterit. Quum  
tamen & ab iis qui sunt ex CÆSARIS Familia, Philippenses saluter Philipp.  
Paulus, patet, in ipsius Neronis, infensissimi Christianorum ho-  
stis aula vixisse quosdam, qui fidei Christianæ sua nomina dede-  
rint. ARISTARCHVS, Thessalonicensis Colof. iv, 10. Philem. v.  
24. cum captivo Paulo Romam, tendente eadem navi vehebatur  
Act. xxvii, 2. hinc ejus concaptivus συναρχμαχων vocatur. Ab  
ipso Apostolo Thessalonicensibus dicitur Episcopus esse datus,  
& post longos agones sub Nerone coronatus. MARCVS consobrinus Col. 4.  
Barnabæ, alius est ab Evangelista, cognomento Joannes, filius  
Mariæ, in cujus domum Petrus ab Angelo carcere eductus se  
recepit, Act. xii, 12. Aliquandiu Paulum & Barnabam comitatus  
discedebat ab illis in Pamphilia Act. xiii, 13. quem cum vellet si-  
bi rursus jungere Barnabas, Paulus ipsi restitit, Act. xv, 38. sq. Jam  
videtur Marcus Paulo Romæ reconciliatus, cum salutem ejus A-  
postolus Colossensibus annunciet. JESVS JUSTVS quis fuerit in- Col. 4.  
certum est. Judæum fuisse produnt verba, quod ex circumcisio-  
ne sit. Idem nonnullis esse videtur, de quo Act. xviii, 7. dicitur,  
quod vixerit Corinthi, cujus domum synagogæ vicinam Paulus  
intraverit.

S. xxv. EPAPHRAS, secundum alios *Epaphroditus* Col. iv, 12. &  
Philem v. 23. memoratus, Colossensium ecclesiæ ab ipso Paulo  
Episcopus præfectus putatur, martyrii palma decoratus, & con- Col. 4.  
ditus Romæ in Basilica S. Mariæ majoris. LVCAS, Medicus ab Ar-  
te dictus, quam primo exercuit, Evangelista est, qui Evangelium  
& Apostolorum Acta litteris consignavit. Individuus itinerum  
& periculorum Pauli comes, quocum Romam pervenisse, ibi-  
demque in via Lata in hospitio Pauli Acta Apostolorum vel con-  
scripsisse vel certe absolvisse dicitur Aringho in Roma subterra-  
nea. An martyrio coronatus fuerit, non satis liquet. Hiero-  
nymus scribit ipsum annos lxxxiv. natum obiisse, de martyrio  
nihil addit. Paulinus Nolanus Episcopus tamen *ad Severum* canit:  
Hic pater Andreas & magno nomine LVCAS  
MARTTR, & illustris sanguine Nazarius,

DEMAS

- DEMAS Col. IV, 14. Philem. v. 24. vel *Demetrius*, Paulo aliquan-  
diu in vinculis adstitit, sed deinde amore mundi captus defecit,  
• Apostolo qverente 2. Tim. IV, 10. Alii tamen (teste Esthio) eum  
rediisse ad Paulum & illi Romæ ministrasse putant.

• S. XXVI. EVBVLVS 2. Tim. IV, 21. ignotus est scriptoribus Histo-  
riæ Eccl. Alius ejus nominis sub Diocletiano claruit, Martyrii pal-  
ma decorus, referente Eusebio, Hist. Eccl. VIII, 21. PVDENS Sena-  
tor Romanus *Pudens Rufus* est, supra memoratus. LINVS, pre-  
sbyter, S. Petri in Romana sede successor a Papicolis habetur. An-  
tea ipsum Paulo ministrasse scribit Ignatius ep. 2. ad Trallianos.  
Saturnini Consularis jussu capite truncatus, obijt. De eo consule  
Eusebium in Chronico: & Hist. Eccl. III, 4. & V, 6. Baron. An-  
• • • • • nal. ad an. LXXX, n. 1. & c. CLAVDIA Pudentis Rufi senatoris uxor  
est, cognōmine Rufina, mater, vel certe noverca Praxedis & Pu-  
dencianæ virginum, cujus mentionem jam injecimus.

Hæc sunt, quæ de *Salutandis* atqve *Salutantibus* Paulinis  
observavimus, lubenter abjuratis, si quos commisimus, erro-  
ribus, iis addituri calculum, qui genuinæ antiquitatis testimo-  
niis solidiora probaverint.

## COROLLARIA,

• I. In percipienda veritate, & nihil & nimium sensibus tribuere,  
• temerarium est.

• II. De Visu constat, nullum unquam mortalium res eadem, quæ  
sunt, magnitudine vidisse: sed omnia re ipsa majora esse, quam no-  
stris oculis metimur.


• III. Nihilominus tamen, quamvis homo multis palmis edificiorum  
januas (quæ eis eadem ingreditur) altitudine superet, non est quod me-  
tuat, ne, intrando, caput vel cervicem ladat & allidat.

• IV. Ex patina (quam perspicillis ingrossantibus aspicio) cibum sum-  
turus, nullus timeo, ne major appareat quam revera est, & aëri cir-  
cumdanti potius, quam patinæ manum admoveam.

• V. Germanorum noch einmahl so viel/ & zweymahl so viel/ unum  
est & idem.

F I N I S.





iv, 21, 22. repetuntur salutantes, investigare  
 tamen & ab iis qui sunt ex CÆSARIS Famili  
 Paulus, patet, in ipsius Neronis, infensissi  
 stis aula vixisse quosdam, qui fidei Christia  
 rint. ARISTARCHVS, Thessalonicensis C  
 24. cum captivo Paulo Romam, tendente e  
 Act. xxvii, 2. hinc ejus concaptivus *συβασι*  
 ipso Apostolo Thessalonicensibus dicitur  
 & post longos agones sub Nerone coronatus.  
 Barnabæ, alius est ab Evangelista, cogn  
 Mariæ, in cujus domum Petrus ab Ang  
 recepit, Act. xii, 12. Aliquandiu Paulum &  
 discedebat ab illis in Pamphilia Act. xiii,  
 bi rursus jungere Barnabas, Paulus ipsi rest  
 videtur Marcus Paulo Romæ reconciliatus  
 postolus Colossensibus annunciet. JESVS  
 certum est. Judæum fuisse produnt verba,  
 ne sit. Idem nonnullis esse videtur, de quo  
 quod vixerit Corinthi, cujus domum syna  
 intraverit.

S. xxv. EPAPHRAS, secundum alios *Epa*  
 Philem v. 23. memoratus, Colossensium  
 Episcopus præfectus putatur, martyrii pal  
 ditus Romæ in Basilica S. Mariæ majoris. L  
 te dictus, quam primo exercuit, Evangelis  
 & Apostolorum Acta litteris consignavit.  
 & periculorum Pauli comes, quocum Ro  
 demque in via Lata in hospitio Pauli Acta A  
 scripisse vel certe absoluisse dicitur Aringl  
 nea. An martyrio coronatus fuerit, non  
 nymus scribit ipsum annos lxxxiv. natum  
 nihil addit. Paulinus Nolanus Episcopus tan  
 Hic pater Andreas & magno nom  
 MARTTR, & illustris sanguine Naz

rit. Quina  
 ses saluter *Philipp.*  
 orum ho  
 ina dede  
 hilem. v.  
 ehebatur  
 catur. Ab  
 lle datus,  
 sobrinus *Col. 4.1*  
 es, filius  
 ductus fo  
 omitatus  
 vellet si  
 g. sq. Jam  
 m ejus A  
 fuerit in- *Col. 4.1*  
 umcisio  
 dicitur,  
 m Paulus

l. iv, 12. &  
 so Paulo  
 s, & con  
 us ab Ar- *Col. 4.1*  
 ngelium  
 tinerum  
 nisse, ibi  
 vel con  
 ubs terra  
 Hiero  
 martyrio  
 m canit:  
 DEMAS

